

opus est, neque demonstratione. Quod verò hi etiam, qui rei familiaris nobis prætendunt negocia, & necessitatem illinc haud ferendam dicunt, veniam nullam consequi possint, quoniam spiritualia terrenis negociis non præferunt, cuius manifestum est. Quis enim famulus, dic mihi, nisi herile expleverit ministerium, res domi suæ curabit unquam? Nonne ergo absurdum est inter homines, ubi exile nomen est dominatus, tantam Dominis exhibere reverentiam, & obedientiam, eum verò, qui verè est Dominus non nostrum tantum, sed & superarum potestatum, non eodem quidem cum conservis cultu dignari? Utinam possem monstrare vestris oculis illorum animum, ut videretis sordidatum, squalentem, devictum, dejectum, & liberè loqui nihil audentem. Utinam fieri posset, ut aperirem corda derelinentium communionem. Utinam fieri posset, ut in conscientiam illorum penetraretis, & tunc cerneretis bellè, quot vulneribus sca-teant, quot spinas habeant. Quemadmodum enim terra agricolarum manibus destituta vastatur, & silvescit: Sic & animus, spirituali non perfruens doctrina, spinas & tribulos producit. Si enim nos, qui in dies singulos auditionem Apostolorum & Prophetarum participamus, & assiduas cantiones de sanctis Scripturis occinimus, vix nostrorum affectuum ardorem cohibemus, vix iram frenamus, vix invidiæ tabem ejicimus, vix concupiscentiam sedamus, vix impudentes feras reprimimus; quam spem salutis habebunt, qui nunquam hac fruuntur medicina, neque divinæ doctrinæ auscultant? Multi mysteria semel participant in anno, alii bis, alii verò sæpe: quos igitur ex his probabimus? eos, qui semel, an qui sæpe, an qui raro? Neque eos, qui semel, neque qui frequenter, neque qui rarò, sed qui pura conscientia, qui puro corde,

*Exemplum  
famuli.*

*Votum.*

*Simile de  
terra incol-  
ta.*

*Ex majori.*

*De vero usu  
cœnæ sacræ.*